Tom. 3. ]
pag. 135. ] Num. 2966. Cum anno proximo venturo 1687 Festum Exaltationis Sanctissimae Crucis occurrat in Dominica infra octavam Nativitatis B.M.V., in qua celebrandum esset de praecepto Festum Nominis ejusdem B.M.V. Quaesitum fuit declarari: quomodo regulanda sint officia eorumdem Festorum cum ambo sint sub ritu duplicis majoris? Et S.R.C. respondit: In casu proposito, officium Nominis B.M.V. transferendum esse ad primam diem Festo novem lectionum non impeditam. Et ita declaravit, et servari mandavit. Die 20 Julii 1686.